

1522

stans, excellens ingenio, verum ob ægritudinem ad munera belli exercenda parum idoneus, de hostium adventu certior factus, Federici Salernitani Antistitis opera fretus, duo Italorum peditum millia ad urbis custodiam disponit, quos in Liguribus Fulgosiae familæ, nominisque studiosos noverat, omnes in armis esse jubet. Nuntios citato itinere in Galliam mittit, qui Regem de civitatis statu, ac consiliis hostium docent; Cæsareanos, in Insubribus bello pene confecto, nihil antiquius duxisse, quam Genuam, quæ semper Gallicis rebus faverat, occupare; proinde enixe Regem orare, ut nutantes Genuensium res validis auxiliis quam celerrime firmare velit; ne illis periclitantibus, omni spe Mediolani recuperandi dejiciatur. Rex cum cladem apud Piccocom a Lautrechio acceptam, dedendæ Cremonæ urbis conditiones, copias non imminutas modo, verum fere deletas intellexisset; licet ingenitem animo molestiam caperet, nihilominus & suopte ingenioductus, cui semper Italicarum rerum memoria hærebat, & Venetorum adhortationibus, qui ex foedere eamdem cum Gallo fortunam subire cogebantur, incitatus, novos militum delectus habere, equitatum comparare, nulli sumptui parcere decreverat, ut labentem in hac provincia Gallorum fortunam sustinere, atque erigere posset. Itaque duodecim peditum milia, quingentos cataphractos, levioris armaturæ equites mille delegerat, qui Ruberto Scoto duce in Italiam properarent. Et quoniam Genuensium successus urgebant, ut duabus tiremis confestim Genuam contenderet, Petro Navarro mandavit.

Interim Ferdinandus Davalus cum Italisch, atque Hispanis peditibus proprius ad mœnia accedit; per tubicinem literas ad urbis Præfectos mittit, quibus postulat, ut intra diei spatiū Gallos omnes ex urbe ejicient; supremum Reipublicæ magistratum Adurno restituant; classem, maritimisque civitatis vires ad Cæsaris nutum comparent: in reliquis suis legibus usuros: si abnuant, hostilia omnia subituros. His auditis, cum in urbe novis semper tumultibus agitata diversæ civium sententiæ essent, plerique vero tutiora speciosis consiliis anteferrent, Benedictus Vivaldus ad Davalum mittitur, ut de componendis rebus cum illo agat. Id dum sedulo fit, Hispani (ea forte die illis, qui juxta mœnia stationes agebant, munia in custodiendis